



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Synopsis Magnalium Divi Josephi**

**Ignatius <a Sancto Francisco>**

**Leodii, 1684**

Sect. 4. Quâ ratione fœlix erit & Christianorum matrimonium?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38500**

voti, unius disciplina ejusdem servitutis? Ambo fratres, ambo conservi, nulla spiritus carnisve discretio, ubi caro una, unus & spiritus: simul orant, simul voluntantur, & simul jejunia transgunt, alterutro ducentes, alterutro hortantes, in Ecclesia Dei pariter, in connubio Dei pariter, in angustiis, in refrigeriis: neuter alterum calat, neuter alterum vitat, neuter alteri gravis est, liberè ager visitatur, indigens sustentatur: Eleemosina sine tormento, sacrificia sine scrupulo, quotidiana diligentia sine impedimento ..... sonant inter duos psalmi & hymni, & mutuò provocant quis melius Deo suo canet. Talia Christianus videns & audiens gaudet, his pacem suam mittit, ubi duo, ibi ipse, ubi & ipse, ibi & malus non est: Paradisi terrestris instar est ejusmodi matrimonium, sed sine serpente. Societas est inter Prisca & Aquile, quam Apostolus, domesticam Ecclesiam, vocat ad Romanos cap. 16 v. 5. non celebratur in Canà idest zelo & emulazione, non in Galileà, id est volubilitate & mutabilitate: neque ubi vinum deficit, & amor arefcit: prægestus est æternarum nuptiarum, ad quas vocati sunt Christus, Mater, & discipuli, & discipulorum successores inebriati torrente voluptatis, dicentesque Christo servasti bonum vinum usque adhuc.

LXIV. Dives est hæc matrimonii concordis descriptio, sed quantacumque sit, levis est tantum expressio, & imperfecta adumbratio illius Divæ Deiparæ & Sancti Josephi, de quo hic nobis sermo. Nam quanta putas fuit inter illos concordia? quanta consensio ubi omnis concupiscentiæ tomes religatus. omnes passionis, non solum moderatæ sed omninò extinctæ, ubi suavissimus omnium virtutum concentus, ubi denique Jesus æternus amor, amborum nexus, utriusque corda in seipso strictissimè unita inter se tenebat, fovebat, accendebat, perfundebat: ut proinde de illis justius dixerim quod de Theodohado Gothorum Rege & Amalescantha ejus conjuge Cassiodorus lib. 10. variat. *Inierunt sacra connubii fœdera, ut tanquam in duobus luminibus, unus esset aspectus, & concordem sensum nemo crederet segregatum: sic sunt etiam simul quos gratia conjungit, & parentela conciliat. Arduum sibi hoc forsitan æstimet*

*impares mores; difficile est illos aliter vivere, qui sibi possunt bonarum cogitationum similitudine convenire.*

## SECTIO ULTIMA.

### Quæ ratione fœlix erit & Christianorum matrimonium?

Fœlix erit si fuerit ad normam LXV matrimonii Divi Josephi & Sanctæ Deiparentis: cum enim ex dictis illud inter omnia fuerit fœlicissimum, proculdubio fœlix erit & vestrum ô Christiani Conjuges! quantum tert præfens rerum status, si huic fuerit simile, tantoque fœlicius erit & melius quanto fuerit illi similis & conformius. Quare illud vobis, vos qui contrahere vultis, ob oculos proponite, in illud tanquam in omnium conjugiorum exemplar præstantissimum, & speculum perfectissimum animum intendite, ut ea quæ in illo observaveritis, vobis vestroque statui congruentia, fideliter omniq; studio exprimere, saltem adumbrare satagitis.

Erit verò vestrum ad illius normam, LXVI si quod illi, hoc vos quoque effeceritis: præcedant scilicet vestrum matrimonium nonnulla, comitentur alia, alia denique subsequantur: ut enim fœlix sit matrimonium, benèque eis qui illud suscipiunt succedat, illud præcedere debent intentio & consultatio: libertas & judicium comitari; amor & patientia subsequi: quæ quia in matrimonio D. Josephi & Deiparæ Virginis in summo gradu inventa sunt, ideò fuit in summo gradu fœlix.

Primò, intentio debet præcedere, LXVII quia ab eâ bonitas vel malitia cujusque actus humani, ut docent Theologi in moralibus: Matrimonium ob duos præcipuè fines institutum. Primò, ab initio in officium naturæ, ut scilicet hæc viâ natura humana congruo modo conservaretur & propagaretur. Secundò, post lapsum etiam in remedium prurientis concupiscentiæ: cum enim homo per peccatum factus sit lubricus, & ad libidinem proclivis, vix sibi continere potest: & ideò Deus matrimonium remedium esse voluit tantum pruritus,



pruritus, ut sic extra occasionem peccati fieret. Ita omnes Theologi.

LXVIII Qui ergo alio fine, aliâ intentione quam istis contrahunt, vel contracto uruntur matrimonio, ut scilicet libidinem suam expleant, non homines sunt, sed equi & muli, & potestatem habet super illos dæmonium, inquit Angelus ad Tobiam Tobia cap. 6 Quia mirum hi Deum à se & à mente suâ excludunt, in eo quod matrimonio cuius Deus Author Genes. cap. 2. v. 23. & 24. & Matthæi cap. 19. vers. 5. sceleratissime abutuntur, eju que sanctitatem & finem à Deo præstitum impie pervertunt.

LXIX. Sed aliquid amplius à conjugatis timoratis exigit propositum Divæ Deparæ & Sancti Josephi exemplum: quid verò illud? quid scilicet cum ipsi contraxerint cum proposito nunquam utendi matrimonio, discant hinc Christiani conjuges, si ut illi continere non possunt, saltem sic matrimonio suo uti, ut in eo nec ipsam quarant concupiscentiæ remedium, nec consentiant in carnis voluptatem quamvis subintrat, sed tantum prolis intendant procreationem, ut si fieri posset quod, ut Maria & Joseph, haberent prolem sine matrimonii usu, per quem cadunt in libidinem, ab eo abstinere vellent.

LXX. *Iustitia utendi conjugii*, inquit D. Fulgentius Ruspensis Episcopus epist. 1. cap. 3. *hæc est ut non explenda libidinis, sed substituenda prolis obtentu sibi conjuges congruo tempore miscantur: sic ergo queri debet & nuptiis fructus, ut cohibendus sit lubricæ voluptatis excessus.* Hinc D. Chryostomus homil. 21 in epist. ad Ephes. & homil. 5. in epist. ad Thessalonic. *Propter vitæ communionem, & liberos procreationem puella ad unctam est viro, non turpitudinis risusq. gratia.* Et Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromat. *Matrimonium propter liberos non propter voluptatem esse debet.* De quâ materiâ disputans D. Augustinus in Enchiridio cap. 78 ita pronuntiat: *Putari posset non esse peccatum misceri coniugi non filiorum procreandorum causâ, quod est bonum nuptiale, sed carnalis etiam voluptatis: ut fornicationis sive adulterii sive cuiusquam alterius immunditiæ mortifera*

*rum malum, quod turpe est etiam dicere, quod potest tentante satanâ libido pertrahere, incontinentium devitet infirmitas.* Posset ergo ut dixi hoc putari non esse peccatum nisi addidisset Apostolus. 1. Cor. cap. 7. hoc autem dico secundum veniam non secundum imperium: *Quis autem iam esse peccatum neget cum daret veniam facientibus Apostolica autoritas fateatur?* O si hoc modo essent moderata Christianorum conjugia, quàm essent sancta? quàm boni ex talibus matrimonii filii procreari? at quia è contra evenit, ideò tot confusiones inter conjuges, & filii tam pravi.

Audite conjuges ad rem Imperfectum nostrum in Matth. cap. 1. ad illa verba: *Booz autem genuit Obed ex Ruth, mirè philosophantem.* Booz inquit, *senior constitutus, non sibi uxorem accipit, sed Deo, non propter passionem corporis sui, sed propter iustitiam legis, ut suscitet semen proximo suo non magis amore prolis quam Religione fervens.* De Ruth verò paulo intra sic. *Si communicationem viri desiderasset quasi puella lasciva, aliquem irvenem potius appetivisset: Quoniam autem non lascivia sue, sed Religiois fatiis facere cupiens fuit familiam potius sanctam elegit, quam juvenem atatem.* Tum deinde post pauca sic infert ex hi. *Talis ergo Booz ex tali coniuge Ruth qualem filium genuit: Obed, qui interpretatur subditus: nunc autem qui divitias eligunt & non mores, pulchritudinem & non fidem, & quod in meretricibus solet queri, hoc in coniugiis optant, propterea non generant filios subditos sibi, vel Deo, sed contumaces contra se, & contra Deum, ut filii eorum non sint fructus iustæ coniunctionis eorum, sed pæna condigna irreligiositatis ipsorum.* Quàm eleganter! quàm verè!

Debet etiam præcedere consultatio, LXXII. primò, apud ipsos contrahentes, non enim in tanti negotio momenti sine magnâ deliberatione & maturo examine procedendum: Deinde cum aliis qui bene consulere possunt, maximè verò cum Parentibus tum ob reverentiam illis à prolibus debitam, tum ob amorem eorum & benevolentiam iunctam cum maiori prudentiâ, & experientiâ ejusdem iugi quod suscepturi sunt: Ante omnes tamen Deus consulendus,

P P

lendus,



fulendus, tùm quia primus & præcipuus Pater, tùm quia ab ipso pendent omnia, adde in particulari quod ex Scripturâ Proverb. cap. 19. vers. 14. *Domus & divitiæ dantur à parentibus, à Domino autem proprie uxor prudens.* Non quod domus & divitiæ non sint etiam donum Dei, sed quia illa à parentibus hæreditate filiis relinqui possunt, uxor verò prudens, licet sollicitè, adhibito etiam aliorum prudentium amicorum consilio, ab eis quærat, attamen à Deo maximè procuratur, & ab eo precibus, elemosinis, jejuniis, aliisque bonis operibus petenda & promerenda: Et si enim Deus cuncta disponat, suâq; providentiâ etiam minima attingat, magis tamen majora & magis necessaria vel oportiora, qualis est homini uxor prudens, moribus & viri ingenio congruens, quia nimirum ab eo pendet & hæc prudentia, & sine illo haberi non potest.

LXXIII Hoc planè modo Diva Deipara & Divus Iosephus contraxerunt, de quibus licet incertum sit an eorum tunc parentes in vivis essent, illud tamen ex dictis certum, non nisi de consilio Sacerdotum & Dei, quem sibi bonis operibus demeruerant nutu & voluntate, etiam per oraculum & miraculum patefactâ de matrimonio ineundo cogitasse.

LXXIV Secundò, libertas debet comitari matrimonium: cum enim unio viri ad uxorem, & uxoris ad virum, sit usque ad mortem, & adeò stricta, tantisque incommodis obnoxia, nulli debet nisi volenti tantum jugum imponi: Quo circa ut ratio parentum à liberis dum hæc de re deliberatur audienda, ita vicissim & à parentibus horum libertati multum concedendum, quia eorum res agitur. Et quidem cum de ipso statu eligendo deliberandum, an scilicet nupturi sint, an non, ita hæc optio illis relinquatur, ut vix quidquam in eo sibi parentes præterdere debeant: cuius tamen contrarium, quam multi parentes præstant cum magno animæ suæ & liberorum suorum periculo, qui hos deputant claustris, istos avocant & illigant nuptiis. Si verò de personâ tantum deliberatur id est cui nubendum, parentum simul rationi & libe-

rorum inclinationi ac libertati dandus locus, ut nec illorum consilium ab his contemnatur, nec horum libertas ab his cogatur; sed quantum fieri poterit inter se concilientur. Si enim totum hic liberorum inclinationi concedatur, cum illa ut plurimum cæca sit, quam absurdos liberi committent errores, plus enim sæpè juvenulo placebit scenica mulier, quam modesta: similiter si parentum authoritati totum, & libertati nihil concesseris, illi sæpè plus conditionem, genus & divitias attendunt, quam mores & ingenium: quomodo ergo unanimes illi erunt, quorum mores adeò diversi? quomodo ibi pax; ubi nullus amor?

Dices Maria & Iosephus nihil minus cogitabant quam nuptias, imò ab illis toti alieni erant: Maria quidem, nam cum post exactos in templo annos consuetos, sacerdotes curarent vitam pulcherrimam ulmo alligari, quod non deceret tantâ pulchritudine præditam puellam diutius apud templum commorari, recusat illa egressum, affirmans se teneri ex virginitatis libamine. Ioseph verò. cum enim Pontifice auctore res tam nova cœlesti commissa fuisset oraculo, responso inde accepto viros solutos ex Davidis familiâ die Enceniorum solemnè congregatos in Jerusalem, monendos esset gestantes ad altare virgas, ille ascenderet in Mariæ Conjugem cuius florens virga descendenti è Templi vertice columbæ nidulum efferreret. Ioseph solus, quem tenebat, propositum caluitatis, fugit ad latebras, qui tamen ad illius castissimæ Virginis Connubium electus erat. qui tandem sacerdotali præcepto evocatus, profert virgam, quæ mox in conspectu germinans, columbæ è culmine delaptam excipit, per quod signum apparuit evidenter quod esset cœlitus designatus Mariæ Sponsus.

Sed etsi nuptias ita averterentur, ubi tamen hoc miraculo uterque didicit voluntatem Dei ô quam libenter illam amplexati sunt! istâ enim Dei voluntate magis volebant illi quæcumque volebant, quam quæ suâ propriâ; cum in illis non propria sed iola Dei voluntas regnaret: & hoc ipsum quod hæc tenus nuptias noluerant, ideo noluerant, sent,



sens, quod Deus nolle voluisset.

LXXVII Judicium quoque matrimonium comitari debet, quia plurimum illorum interest qui contrahunt ut bene animadvertant quid faciunt: quantum durat contractus: quid ex illo sequi possit: & quid in plerisque frequentius sequatur: ponderare an matrimonium sit melius quam non ipsum: an non in comparte sit aliquid cum proprio ingenio, moribus, & indole incompatible: ne si forte ex defectu advertentia aqua igni jungatur, bellum ex contrariis illorum qualitatibus sequatur non desitutum, nisi per unius vel alterius partis interitum & destructionem.

LXXVIII Maximè non est nubendum cum aliquâ passione, quæ rationem præoccupet: v. c. propter amorem divitiarum & pecuniæ, libidinis, ob tantillam perituram pulchritudinem, &c. Cum enim passio sit violenta, nullum autem violentum sit durabile, periculum est ne ejusmodi amor tandem in odium deflectat acerbum.

LXXIX Quoad hanc partem cum inter Divam Deiparam & Sanctum Josephum tanta esset similitudo & proportio morum, tanta affectuum sympathia quid illis fuit cunctandum ut uterque hanc partem amplecteretur? Deinde quæ passio potuit in hoc matrimonio partium turbare judicium, ubi non nisi ex Dei nutu & voluntate processum?

LXXX Tandem amor debet subsequi & patientia: Amor quidem: quantumvis enim intentio & consultatio præcessissent, libertas & judicium comitaretur, si ex his amor non sequatur, quid illa proderunt ad matrimonii felicitatem? è contra verò, ut illa defuissent, si amor adsit, ut potest, quamvis ratio & difficillimè, hic solus omnia præstare poterit, conjugibusque avitam pacem dare in qua felicitatis matrimonii summa. Plura de Divi Josephi & Deiparæ amore mutuo vide hoc cap. sect. 2.

LXXXI Patientia verò, tum quia si fortè ea quæ supra, vel illorum aliqua abfuerint, maximè verò amor, patientia erit ultimum remedium, & secunda post naufragium tabula: tum quia fieri nequit, ut homo & mulier ita perfectè per-

omnia quadrent, quin aliquâ ex parte aliquando claudicent: nullus est qui non habeat suum defectum: si vis ergo portari, porta: ita Apostolus *alter alterius onera portate*: tum denique quia potest quoque contingere, ut etiam sine alterutrius culpâ aliqua contingant, quæ inter se ferre debeant: exempli causa. pro ut Divo contigit Josepho & Deiparenti in ipso limine sui matrimonii: Cum enim ille vidisset gravidam Mariam, quam sciebat se non cognovisse, & nesciret mysterium: hinc cœpit alter ex altero torqueri, sic ut sibi invicem remedium afferre nequirent. Afflictabatur Joseph videns uxorem suam non ex factu suo gravidam, & quod propterea necessum erat eam deferere quam oculitus amabat. Afflictabatur & Maria videns conjugis sui longè dilectissimi inconstitudinem, & quod illi enudare secretum nec posset, nec tunc quidquam profuisset. Quod si hoc matrimonium tam sanctum tantis fuit amaritudinibus respersum, quid mirum si alia suis etiam aliquando divexentur.

Legimus apud Ezechielem cap. 1. de LXXXII Animalibus quorum unum habebat faciem hominis, secundum Leonis, Tertium Bovis, Quartum denique Aquilæ: cum eadem animalia idem Propheta cap. 10 rursum enumerat bovi Cherub subrogat. Quid mysterii hic? quomodo qui paulò ante vultum præferrebat bovis, postea faciem Cherub induit? Res est, inquit, noster Avendano serm. de Sancto Josepho §. 6. ad finem, Quod Bos cum Leone commune jugum ducebat, quorum animalium sunt admodum contrariæ qualitates. Leo namque est rapidus, iracundus, incitatus, sævus: Bos verò tardus & mansuetus. Quis hæc tam diveria indole conjugavit animalia? Deus. Bos autem Leonem conjugem tam imparem patienter tulit, quam obrem ex bove in Cherub transformatus est. Apologus est accipe mysterium.

Multoties uni jugo adstringuntur LXXXIII vir ingenii Leonini, & mulier mitis indolis, quæ bovis instar domus jugum & omne illius onus portat, & prudenter omnia facit, fertque omnia æquanimitè.



nimiter. At quo prämio putas? Cum ex hac vitâ demigrat Cherubini merito ornata; Cherubini prämio cumulatur. Ferant ergo patienter uxores quæcumque jugum duxerunt cum viris asperis & austeris, dives enim eas manet remuneratio: hoc autem crebro secum recogitent: cum in matrimonio Mariæ & Joseph fuerint etiam suæ spinæ & ærumnæ, suum absque iis ulquequaq; esse non posse, Deumque velle ut per Crucem quisque prædestinatorum ut Crucis filius tendat in cælum, & perveniat ad coronam.

nonnulla quæ hic titulus supponit, seu quæ hunc sponsi titulum præcedunt; alia quæ illum comitantur: alia denique quæ illum consequuntur. Quæ hunc titulum præcedunt; illa sunt quæ ei à Deo collata sunt ut ad hanc dignitatem dignè & ut par erat præpararetur: Quæ comitantur, illa sunt quæ ipsa dignitas per se confert & secum advehit: quæ consequuntur, sunt illa quæ ei propter istam dignitatem ad ornamentum adjecta sunt: quæ toridem Sectionibus, eodemque ordine prosequemur.

### CAPUT VIGESIMUM ET ULTIMUM.

*Quæ bona Divo Josepho ex eo quod Virginis fuerit Sponsus provenerint?*

I.

**M**AGNA sunt omninò quæ hujus singularis intuitu dignitatis Divo Josepho sunt à Deo collata dona cœlestia, & quisea vel mente assequi, vel dictione complecti sufficiat? impar est omnis eloquentiæ vis explicandæ gloriæ tantæ. Hinc noster D. Damascenus Grat. de Nativ. Beat. Virg. *Dignitas hæc, inquit, fuit concessa Divo Josepho singulari Dei dono, & per dispensationem omni sermone præstantiorem.* Similiter alii Patres & Doctores loquuntur. Sed si ita est, quid ergo hæc aggredimur? quid nitimur? imò ex hoc magis audendum, quandoquidem materia ipsa, ex hoc quod est ineffabilis, fandi tribuat copiam, nec possit deficere quod dicatur, ubi nunquam poterit esse factis omne quod de eâ dicitur: Quare ex hoc ipso supra omnia hæctenus eâ de re dicta, vel deinceps, seu à nobis, seu à quocumque dicenda, mente consurgamus, agnoscamusque illa quantacumque sint, & nobis videantur, minora tamen esse meritis ejus & dignitate: quibus prælusus ad rem veniamus.

I I.

Distinguo itaque dona quæ Divus Josephus sub hoc titulo Sponsi accepit & illa in tres Classes divido: sunt enim

### SECTIO PRIMA.

*Dona Divo Josepho collata ut dignus fieret esse Sponsus Beatissima Virginis.*

**P**ulchram noster Sylveira tomo 5. in Evang. lib. 8. cap. 18. quæst. 9. movet difficultatem, per quam nobis ad præsentem, quam versamus materiam, facimus aditum. Quærit ille cur Christus Dominus cum matrem suam Sponso orbatam, moxque filio orbendam, esset Joanni Virgini commendaturus, non illud fecerit in coenaculo, sed distulerit usque dum esset in Cruce?

Nec valet si dicas id contigisse quod Beata Virgo non esset prærens in coenaculo, unde nec de illa fieri ullam apud Evangelistas mentionem. Ubi agunt de ultimâ cœnâ, quod tamen non videbatur reticendum si adfuisset. Contrarium enim vel ex eo redditur indubitabile quod Exodi cap. 12. n. 2. ubi de manducatione Agni Paschalis, & institutione cœnæ legalis, lex sic præcipiebat: *Tollat unusquisque agnum per familias & domos suas: sin autem minor est numerus ut sufficere possit ad vescendum Agnum, assumet vicinum suum qui junctus est Domui suæ, &c.* Atqui si Apostoli adfuerunt cœnæ legalis quam fecit Christus, cui immediate successit cœna Sacramentalis (quod hic censerentur esse de familiâ & domo Christi) quantò magis ergo Mater ejus? & certè cum quo Beata Virgo fecisset, juxta hanc legem, cœnam istam